

1301. Juli 6.**11.**

Der Rat zu Lüneburg beurkundet, daß der Lüneburger Bürger Johann Bertolds Sohn mit dem Kloster Reinfeld einen Tausch von Salineneinkünften vorgenommen hat.

Nos Consules Ciuitatis Luneburg, Titmarus Magister fontis, Thidericus Zabel, Andreas, Alardus de salsteen, Nicolaus de Molendino Adheloldus, Johannes Beuc, Hermannus Albus, Albertus Hollo, Junior, Heyne de Lubecke, Bertoldus Longus, Johannes Huzenklet Recognoscimus presentibus publice protestantes Quod Johannes Bertoldi Burgensis nobis dilectus parili consensu vniuersorum haeredum suorum, quadam via permutationis dedit vnum chorum salis, quem Jure hereditario, quolibet flumine in Salina Luneburg in domo Huninghe in Sartagine, quae Wechpanne dicitur ad sinistrum manum cum Domus ipsa intratur habuit Religiosis viris Dominis et Conuentui de Reynevelde ordinis Cistertiensis Lubecenis diocesis recipiens ab ipsis unum Chorum salis, quem iidem cum domus predicta intratur in Sartagine que Wechpanne vulgariter dicitur pacifice tenuerunt vt autem talis permutatio hinc inde coram Aduocato nostro et nobis facta, in sua permaneat firmitate, nec alicuius versutia in posterum valeat infirmari, presens scriptum, memoratis Dominis et Conuentui de Reynevelde nostre Ciuitatis sigillo roborari fecimus in testimonium perpetuum et munimen. Datum Luneburg Anno Domini Millesimo Trecentesimo Primo. In octaua Apostolorum Petri et Pauli.

Copie aus dem 16. Jahrhundert im Geheimarchiv zu Kopenhagen, beglaubigt vom Notar Albert Berner.

1301. Juli 13.**12.**

Otto, Herzog von Braunschweig und Lüneburg, überläßt dem Ritter Wibert von Stade sechs Acker Landes in Gorrieswerder.

Dei gratia nos Otto dux de Brunswich et de Lunenborch, Omnibus quibus preseus scriptum fuerit|| exhibitum volumus esse notum quod domino Wib. de Stadis. militi nostro dilecto. dedimus siue dimisimus sex iugera vel|| frusta in insula que goregeswerdere dicitur cum omni iure ac vtilitate quam habuimus in eisdem excepto Summo|| iudicio quod nobis solum modo reseruamus Ratum ac gratum habentes cuicumque idem dominus wib. frusta siue iugera|| vendiderit supradicta et hoc presentibus publice protestamur. Datum Tsellis. Anno graciae M^o Trecentesimo primo, in die beate|| Margarete virginis.

Original im Staatsarchiv zu Hannover. Siegel am Pergamentstreifen, fragmentarisch. Sudendorf, U. B. I. 165.

1301. Aug. 15.**13.**

Johann und Gerhard, Grafen von Holstein und Stormarn, schließen einen Grenzvergleich mit dem Kloster Reinfeld und tauschen einige Dörfer aus.

Universis praesentes literas inspecturis Johannes et Gerhardus Dei gratia Comites Holtzaciae et Stormariae salutem in omnium Salvatore. Propter infirmas hominum memorias, ne ea, quae a nobis rationabiliter aguntur, oblivioni tradantur, non solum voce testium, verum etiam testimonio literarum ea duximus certa notitia perennare, quatenus a posteris nostra notitia et devotio commendetur, et ad opera Caritatis quique fideles exemplo consimili provocentur: Cum diuturna quaestio ex parte Monasterii in Cysmer nobis assidue moveretur super quibusdam

terminis suis nondum signatis, juxta indaginem positis. Nos igitur pensantes, et utile et meritorium apud Deum et homines esse, finem tantae dubietati imponere, personaliter cum Domino Johanne, ejusdem monasterii Abbate et suis fratribus ad praedictos terminos accessimus, et quod fuerat dubium, certis signis duximus distinguendum. Fecimus enim grande fossatum, et cumulos, ut evidentia signorum veritatem terminorum futuris temporibus demonstraret. Praeterea, ut nostri et haeredum nostrorum perpetua memoria in dicta Ecclesia studiosius habeatur, ex consensu Gherardi et Woldemari, filiorum Gherardi Comitis de nostro adiecimus in terminis praedicti Monasterii paludem sive pratum, quod Reedwische dicitur, jacens inter magnum stagnum et indaginem, et rivum stronum cum omni iudicio et libertate perpetuo possidendum. In cujus rei recompensam praedicti Abbas et Conventus nobis et nostris veris haeredibus villam Cereze cum molendino et omnibus attinentiis suis, sicut hactenus habuerunt, resignaverunt perpetuo possidendam, et ne alicui in posterum de terminis praedicti Monasterii ambiguitas oriatur, decrevimus, singula loca ex praemissis nominibus declarare, incipientes a superiori parte piscinae, quae Crumedyk dicitur, magno acervo signata, inde ad paludem cruce signatam, inde directe cum acervis et fossatis et lapidibus signatis usque ad rivulum acervo signatum: inde per descensum rivuli cum acervis usque ad paludem acervo signatum, inde directe cum acervis usque in rivum, qui dicitur Clodevice, acervo signatum, quem rivum totaliter, quousque influat rivum, qui dicitur Galtnice, inde in terminis Smucekendorp acervis et fossatis ad locum, qui Donekenbrügge dicitur, inde cum acervis et per ascensum rivi ad parvam paludem, inde cum acervis ad lapidem cruce signatum, inde cum acervis ad parvam paludem, et per decensum rivi in terminis Ratmersdorp, per Moresse usque ad grande fossatum. Inde in eodem fossato procedendo per paludem inter Biscoppelbergk et Gutowe, et inter Stritrod et Gutowe, et ultra sive extra novale, quod Maselowe dicitur, plurimis acervis signatis usque ad rivum Stronum, et per descensum rivi usque ad mare salsum. Damus etiam praedictis Abbati et Conventui liberam facultatem praedicta signa renovare, meliorare, et reformare, cum spiritualibus sive secularibus personis, quocumque ipsis videtur expedire, sine quacumque contradictione. Hanc autem emptionem et predictorum terminorum distinctionem volentes habere de cetero inconcussam, praesentes literas super hoc editas, sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Hujus rei testes sunt Henricus, noster Capellanus, Henricus Plebanus in Oldenborgh, Henricus Plebanus in Hilgenhaven, Ludolfus, dictus Durenbergh, Emeke Hacke, Marquardus Zantbergh, Marquardus et Johannes Zolder, milites, Henricus de Quale, Marquardus Ratlowe, Lambertus de Dame, Marquardus Spore, ac alii quam plures. Datum in Oldenborgh anno Domini millesimo tricentesimo primo in die Assumptionis Mariae Virginis.

Neuere Copie im Geheimarchiv zu Kopenhagen. S. H. U. S. II. S. 1.

1301. August 25.

14.

Adolf und Johann, Grafen von Holstein, stiften ein Jahresgedächtnis in der Hamburger Kirche für ihren verstorbenen Bruder, den Dompropsten Albrecht.

Adolfus et Johannes dei gracia Comites holtssatie, Omnibus presens scriptum visuris notum facimus protestando in hiis scriptis,|| quod nos obdilectionem debitam et carnalem qua dominum Albertum pie memorie nostrum fratrem quondam prepositum hamborgensem amplecta||bamur prerogatiua speciali, in ecclesia hambor-